

ē præcipua spiritus magnificētia præcipuæ sententiæ & figuræ. Et fœlicissima re uerborūq; copia & uelut eloqntiæ flumē. Multū cōmendatur Stesichorus. Alcaeus aureo plectro iure dōatur. Neq; prætermittendus est Symonides tenuis quidē alioquin sermone pprio & iocunditate com mēdandus. Sed hæc de poëtis. Nam prolixior sīm si cunctos recenscam. Quoniā át lyricorū car minum plurimæ formæ sunt: cōmodius illas in singulis odis interprætandis explicabimus. Decē nouē át modos in hoc uolumine adhibuit poëta. Sed hoc paulopost. Quod si quis quo caractē figuraue dicendi in suo uolumine usus sit oratius: requiret absolute: ut puto: uereq; respondebit mediocri pleraq; stilo conscripta esse. Sæpe numero tamen rebus ita postulantibus modo gra uiori spiritu insurgit: modo in humilem usq; figurā delabit. Vtitur actu mixto. Est enim triplex i uenitur apud poëtas narrandi rō: quem actū appellant. Primus ē cū oīa illi ex aliā psona loquuntur: nihil suo noīe denunciantes: quē græci dōa. ματικον και μιλατικον nostri uero actiuū & imitatiuū dicunt. Quo maxime tragicī comiciq; utunt. Non enim narrant: sed agunt narrantes. Alter est. ε̄μηντηκοσ και διδασκαλικοσ sīc a narrando docendoque dictus: quoniam ex psona sua narrat edocetq; cuncta poëta. Est postremo & tertius ex his duobus cōmixtus & utriq; cōis cum partim ex se poëta loquit: parti loquentē quēpiā inducit: pptereaq; μικτον et κοινον .i. mixtū & cōem nominant. Quo át cosilio lyrīa carmina scriferit haud ábigendū puto. Id. n. p stare uoluit: quod ab oībus poëtis semper pstatum ipse in arte poëtica scribit. Nā cum diuini sint uates deo sese beneficia dando simillimos reddere cupiunt. Igitur ut utilitatē quā ex uaria multi pliciq; doctrina suis uersibus includit mortaliū generi afferret: ut illā etiam summa iocunditate asp geret opus scribendū suscepit. Nec sūit ut multi dīcūt. ultimus hoīs finis ut alcæū pyndarūue aut aliū ex græcis imitaret. Sed eos ea rōne imitatus ē: ut & quod iā dīxi præstaret: & sibi simul imor talem gloriam pareret. Id. n. oēs cupimus mortales. Nec quicq; tam humile est quod cupiditatis gloria non tangat. Honos. n. ut apud Ciceronē artes alit: oēsq; ipsa gloria inflammatē ad studia incendimur. Quā quidē rē nec ille noster maro dissimulāter de se ostendit. Ait. n. tentanda uia est qua me quoq; possim tollere humo: uictorq; uigil uolitare per ora. Hoc ergo sibi proposuit Ora tius: ad hocq; ueluti ad ultimū scopon oēs ingenii uires excitauit: atq; direxit: ut & uniuerso ho minum generi quoad liceret: & sibi ipsi consuleret. Qua quidē in re quantū pfecerit adeo ex se i promptu ē: ut nostra orōne nō indigeat. Quod át ad numerū ordinēq; librorū attinet: & nullam habet dubitationē. Quattuor. n. sunt & eo ordine quo in antiquis codicibus reperiuntur: scriben dos putamus. Sed iam ad poëtæ uersus transeamus.

MOECENAS ATAVIS AEDITE REGIBVS.

Prima hæc ode monocolos ē. i. unimembris: quoniā ex unico dūtaxat metro siue modo cōstat. Hic autem asclepiadeus ab asclepiade auctore dicitur: siue coriambicus a pede. Cōstat. n. ex spō deo duobus coriambis & pyrichio. Siue si placet iambo. Habet át coriābus quattuor syllabas ex iis primā & ultimā longas & duas itermedias breues sic moece. nasatauis. Editere. gibus. Duabus uti cæsuris ex pentimemore heroica: & duobus dactilis: aut ex spōdeo & duobus coriābis & py richio siue iābo: uel ex spōdeo & dactilo & syllaba longa & duobus dactilis: ut Moece. nasata. uif. ædite. regibus. Est át Oda aut Monocolos & unimēbris. i. cx uno tātu genere carminis: ut hæc a ut dicolos: ut sequens oda quæ cōstat ex sapphico: & ex dimetro aut tricolos. Nō nunq; ét tetra colos. Quod in sequentibus apparebit. Cōplet át prima ode munus pfecti: exacti q; exordii. Au ditorē. n. sibi ab oībus partibus idoneū reddit. Captat. n. statim a principio beniuolentiā a Mœ cenate: cum illū a nobilitate generis: atq; a liberalitate sumopere cōmēdet. Captat a persona sua & quia se memorē gratuq; accepti beneficii Mœcenati ostēdit: & quia in eo laboraturū pollicet: quo multo mortales iuuare oblectareq; possit. Captat & a re ipsa: cū hanc pœsis speciem per cō tentionem extollat. Neq; se in eo minus q; disciplinā ipsa pbatur: cū neq; inanis gloriæ cupiditate: ut ii qui i uariis ludorū certaminibus coronari cōtendūt: neq; ábitione: neq; auaritia duci: quorū uitioꝝ alterꝝ mortales ad ea q; & aliis iniuriosa: & sibi piculosa bella sint: ipellit: alterꝝ ad merca turæ labores & marinos terrores trahat. Neq; postremo uenationibus & aucupiis: quæ ut ē apd Salustiū: seruilia officia sūt: tps cōterat. Sed ipsas musas rebus oībus anteponat. Eadē rōe attētio nem excitat: cū ad diuinas res mortalibus relictis se couersum ostendit. Postremo reddit nos dilectis tum dilucide qua de re scripturus sit: breuiterq; proponat.

AD MOECENATEM Q. VOD CAETERORVM STVDIIS CONTEMPTIS
LYRICVM CARMEN SCRIPTVRVS SIT. LIBER. PRIMVS.

a z